AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 29r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Tene ergo quod accepisti. emenda quod foris accepisti. Accepisti rem columbe. preter columbam. Duo
sunt quae audis. accepisti. Et preter columbam accepisti. Quod accepisti approbo. quia foris accepisti
in probo. Tene ergo quod accepisti. non mutatur sed agnoscitur. caracter est regis mei. non ero sacri
legus. corrigo desertorem. non muto caracterem. Noli de baptismate gloriari. quia dico
ipsum est. ecce dico ipsum est. tota catholica dicit ipsum est. Adunatur columba. Et agnoscit.
et gemit quia ipsum foris habes. Videt ibi quod agnoscat. videt et quod corrigat. Ipsum
est. veni. Et gloriaris quia ipsum est. et non vis venire. Quid ergo mali. quia non pertinent ad columbam.
Ait tibi columba. Et mali inter quos gemo qui non pertinent ad membra mea. Et necesse est inter
illos gemam. Nonne habent quod te habere gloriaris. Nonne multi ebriosi habent
baptismum. Nonne multi avari. Nonne multi idolatre. Et quod peius est furti.
Nonne pagani ad idola eunt. Libant publice. Nec occulte christiani sortile
gos quaerunt. mathematicos consulunt. Et isti habent baptismum. sed columba gemit
inter corvos. Quid ergo gaudes quia habes. Gaudes quia hoc habes quod habet et malus.
Habeto humilitatem. caritatem. pacem. habeto bonum quod non habes. ut prosit bonum quod
habes. Nam quod habes. habuit et symon magus. Actus apostolorum testes sunt. ille canonicus
liber omni anno in ecclesia recitandus anniversaria sollemnitate post passionem domini. Nos
tis illum librum recitari. ubi scriptum est. quomodo conversus est apostolus. Et ex persecutore predicator
factus. ubi etiam die pentecostes missus est spiritus sanctus in linguis divisis velud ignis.
ibi legimus multos credidisse in samaria per predicationem philippi. Intelligitur
autem sive unus ex apostolis sive ex diaconis. quia vii. diaconos ibi legimus ordinatos.
inter quos est etiam nomen philippi. Et philippi ergo predicationem crediderunt samarite.
Samaria cepit habundare fidelibus. ibi erat symon iste magus. Et magicas fac
tiones suas dementaverat populum. ut eum virtutem dei putarent. Commotus tamen sig
nis quae fiebant a philippo. etiam ipse credidit. Sed quomodo crediderit. posteriora se
quentia demonstraverunt. Baptizatus est. Et symon. audierunt hoc apostoli qui erant iero
solimis. missi sunt ad illos Petrus et iohannes. invenerunt multos baptizatos. et quia
nullus ipsorum acceperat adhuc spiritum sanctum sicut tunc descendebat ad ostendendam
significationem gentium credituraru ut linguis loquerentur in quos descendebat
spiritus sanctus. imposuerunt illis manus orantes pro eis. Et acceperunt spiritum sanctum. Symon ille
qui non erat in ecclesia columba sed corvus. quia ea quae sua sunt quaerebat non quae ihesu christi. unde in
christianis potentiam magis amaverat quam iusticiam. vidit per impositionem ma
nuum apostolorum dari spiritum sanctum. non quia ipsi dabant. sed quia ipsis orantibus datus est. Et ait